

ἴσχει τὰ ζῶα^{xiii}, *animam habent animalia*, in anima ergo mundana sunt rationes hae, has rationes quid interest, aut formas aut species aut ideas vocare? Si hac anima mens superior est eaque a mente pendet, quid prohibet rationes has aut formas aut ideas esse in mente superiore affirmare?

Atque ita ex Aristotelicis dogmatibus necesse est ideas esse in mente divina, a quibus per animam universalem, per animas particulares, per naturas, per spiritus, per calores, per semina formae in materiam ingenerentur. Si sua (uti vidimus) tota haec est philosophia, cur tantopere misellas istas ideas tanto odio, tanta acerbitate toties vexat ac persequitur? Nomen non placet? At Graecum est, suae gentis est, nec ideo placet, vocentur ergo quovis alio, vocentur blitiri, modo res ipsa constet.

Sed hisce positis atque ex sua doctrina clarissime erutis opugnationes discutiamus singillatim. Igitur Sapientiae primo, capite ultimo, ad reprehensionem eorum quae ex Phaedone adduxerat, subnectit satis longam idearum insectationem, eo quod numeri esse dictae sint:⁴² *Praeterea, siquidem sunt numeri ideae, quomodo causae erunt?*

Non insistemus in ea discutienda, quia in Platonis libris ne verbum quidem habemus ideas esse numeros, si quis dicat haec a Platone docta viva voce fuisse, in colloquiis testimonia primo eius assertionis quaeremus, deinde mysticum illis sensum dabimus, quomodo alio etiam loco sequenti libro ex Heraclidis atque Estiaei testimoniis, qui Platonis discipuli fuerunt, apparebit, si testimonium non afferatur, divinare nec licet nec libet.

Exstant libri 14 Mysticae theologiae, sub Aristotelis nomine circumlati, sed quid de his sit sentiendum primo tomo discussum a nobis est, videntur illi quidem ex Platonice colloquiis ab audi-

⁴² ἔτι εἶπερ εἰσὶν ἀριθμοὶ τὰ εἶδη, πῶς αἴτιοι ἔσονται; [ARIST. Metaph. 991b.9 – 10]

^{xiii} Usp. ARIST. Mu. 397a.19.